
A. Widalin

J. N. Been

Diss: hebræo-græco-philologica

Haun., 1688.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813

1,-423.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01813 3

+REX

BIBLIOTHECA REG. HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813

DISSERTATIO HEBRÆO-GRÆCO-PHILOLOGICA.

Qvam
Adſpirante ſummi Numinis gratia.
&
Annuente Nobiliſſimo atq; Celeberrimo
Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ Decano.
Doct. CASPARO BARTHOLINO
Medicinæ, Anatomiæ, & Phyſices in illuſtri Hafnienſium Academia Profeſſore Regio.
Candidè impugnantium diſqviſitioni, die 23. Maij
In Auditorio Regentziano horis pomeridianis Solitis.
Sub Præſidio.
Viri præſtantiſſimi & Eruditiſſimi
JOHANNIS NICOLAIDIS BEENII
Philoſoph. Baccalaur.
ſubmittit defendens
ARNGRIMUS WIDALINUS
Torcheli Filius.

Imprimatur,
C. BARTHOLIN.

HAFNIÆ,
Literis Regiæ Majeſt. & Univerſit. Typogr.
Joh. Phil. Bockenhoffer, 1688.

1,-423

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813

VIRO
Plurimum Venerando, Nobiliſſimo,
Ampliſſimo
DN. MAG. JOANNI
BIRCHERODIO
In alma Hafnienſium Accademia S. S.
Theologiæ adjuncto, & Lingvæ Ebrææ
Ordinario Profeſſori Regio, nec non Collegii
Conſiſtorialis Aſſeſſori;
Patrono ſuo atq; Præceptori æqvis cum
vita paſſibus Colendo, honorando.
Nec non
VIRO
Clariſſimo atq; Eruditiſſimo
DN. PAULO BIÖR-
NONIS F.
Selardalenſis Eccleſiæ in Occidentali Is-
landia Paſtori, & vicinarum Præpoſito Vigilantiſſimo,
Viro de ſtudiis ſuis optimè merito, has primitias
Academicas humillimè offert.
Eorum Dignit. addictiſſ. Cliens
ARNGRIMUS WIDALINUS
Thorcheli F.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
B.R.H.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813

THESIS I.

Vocula כִּי, licèt plerumq́; ſibi inter particulas locum vendicet, variasq́; ibi admittat ſignificationes, nomen tamen aliqvando qvòd ſit, evincimus ex capite Eſaiæ 3. v. 24. ubi hæc leguntur verba: כִּי־תַחַת יֹפִי. eſt autem כִּי in hoc certè loco nomen ſubſtantivum, deductum à radice כּוה, ſignificatq́; *uſtionem* ſive *aduſtionem*; neq́; officit nobis, qvod objiciunt qvidam, derivationem hanc eſſe anomalam & à communi regula alienam, ideòq́; admittendam non eſſe; Similis enim formæ datur exemplum, nempe in vocula רִי qvæ deducta à radice רָוָה, *irrigationem* denotat, exſtatq́; Job. 37. v. 11. Verum inſurgit contra hanc meam ſententiam alio qvoqve argumento vir *Cl. Ludov de Dieu in animadv. ad hunc loc. pag.* 466. Edit. Leidens: cIↃIↃCXLVIII. conatur enim oſtendere vinculo *Makkaph* fieri, qvò minus כִּי loco citato, *aduſtionem* poſſit ſignificare, additq́; rationem, *qvòd Makkaph* (verbis ejus utor) *qvo* כִּי *cum* תַּחַת *in unam dictionem compingitur, vetet illud pro ſubjecto enunciationis poni*: at qvamobrem? *qvia*, inqvit, *in pronunciatione per aliqvam vocis ſuſpenſionem à prædicato rectè diſcernitur*: atq́; ſuper hoc fundamentum ſuam in hunc locum ædificat verſionem, conjungendo verba hæc כִּי־תַחַת יֹפִי cum verſu ſeqvente in hunc modum. *Qvia propter pulchritu-*

di-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813

dinem viri tui gladio cadent, Verùm non animadvertit vir ſolertiſſimus, qvod non neceſſariò neq; ſemper dirimatur ſenſus ab antecedente, licèt *Makkaph* eum jungat cum ſeqvente, qvod neqvis fortè ἀδέσποτον, & à me πεπλασμένον δόξειε, adeat locum. 2. Samuel. 19. v. 29. ubi linea *Makkaph* particulis כִּי אִם adnexa ſenſum omnino non inſtituit novum, ſed continuationem qvandam unius ejusdemq; periodi efficit: qvòd ſi cuiqvam unum non ſufficiat exemplum, videat locum Deut: 31. v. 27. הֵן בְּעוֹדֶנִּי חַי עִמָּכֶם הַיּוֹם מַמְרִים הֱיִתֶם עִם יְהוָה אַף כִּי־אַחֲרֵי מוֹתִי conferantur loca 1 Sam: 21. v. 5. & 23. v. 3. 2 Paralip. 6. v. 18. His ita demonſtratis, non video qvid in cauſa ſit, qvò minùs כִּי־ loco ſupra adducto nomen eſſe poſſit. Adde etiam qvod ſtante verſione, qvam dat *Ludov. de Dieu*, neceſſe ſit verſus ſuſpenſo ſenſu ut finiatur; qvod qvamvis interdum in Codice ſacro uſu veniat, temere tamen & absq; gravioribus cauſis ad hanc neceſſitatem devolandum non eſt. Licet autem in notis ſuis criticis *Dieu* plerumq; ſatis prudens & attentus eſſe videatur, ea tamen in re paulò minus eſt conſideratus, qvod ait כִּי *cum* תַּחַת *beneficio vinculi Makkaph in unam dictionem compingi*; nam cum duæ dictiones in unam compinguntur, vox evadit compoſita, id qvod hic fieri nemo ſanæ dixerit mentis; Circumſpectius longè *Cl. Buxtorphius Theſaur. Gram. pag. m.* 47. *dicit Makkaph eſſe virgulam, qvæ duas vel tres dictiones accentu tonico deſtitutas ſic connectat, ut cum ultimæ dictionis accentu ſvavi & venuſta pronunciatione coaleſcant*. Rectiſſimè; *Nam linea Makkaph non unit neq; copulat voces ad compoſitionem Grammaticam, ſed ad continuam prolationem*; *ut oſtendit Celeberrimus Pfeifferus* Method. Hebr. pag. m. 19.

Theſis II.

Particula אֵת, licèt in codice Hebræo varias habeat ſignificationes, tamen poſt verbum נָתַן ita conſtituta, ut ab eo regatur, ſemper expletiva eſt caſuum, Dativi cumprimis & Accuſativi; docent id, poſtqvam à Celeberrimis Hebræorum diſceſſi, omnia illa *Codicis Hebr.* loca (qvantum quidem ex majoribus concordantiis colligere licuit) in qvibus אֵת poſt נָתַן invenitur; Et qvoniam ex hujus rei ignoratione verſiones qvàm abſurdiſſimas profluxiſſe video, pauca tantùm ex innumeris adferam loca, qvibus hanc meam ſententiam ſtabiliri poſſe exiſtimem: videantur itaqvè ſeqventia. Gen. 12 v. 7. & 15 v. 18. & 24. v. 7. Exod. 12, v. 36. & 25 v. 21, 26 & 26. v. 33. 34. & 29. v. 6. & 40 v. 5. Levit. 8. v. 27. & 16 v. 13 & 20 v. 3, 6, & 26 v. 19. Num. 3 v. 9 & 8 v. 19 & 17 v. 12 & 14 v. 1. Deuteronom. 2 v. 5 & 11 v. 29. Joſv. 20 v. 8 & 21 v. 13. Judic. 7. v. 7. & 20 v. 13. I Samuel. 23 v. 4. II Sam. 5 v. 19. I Reg. 16 v. 3. I Chron. 6 v. 42. II Chron. 34 v. 9. Hezr. 8 v. 36. Pſalm. 79. v. 2. Eccleſiaſt. 8. v. 16. Cant. 8 v. 11. Eſa. 62 v. 8. Jerem. 12 v. 7. Ezechiel. 16 v. 33. Dan. 10. v. 12. Zachar. 8 v. 12.

Theſis III.

Qvi בְּמוֹתָיו cum *Moro* explicant *monumentum ejus*, aut cum *Aben-Ezr. Forſter. Mercer. Gomar.* hoc ipſum interpretantur *excelſa ejus*, totô, qvod ajunt, cœlo aberrant; nam בָּמוֹת *excelſa* qvomodocunq; ſeu per affixa creverit, ſeu per præſixa, ſemper cum *Kametz* ſcribitur, nunqvam per *Scheva*; Sic בָּמוֹתַי Pſal. 18 v. 34. בָּמוֹתֶיךָ Jerem. 17. v. 3. בָּמֹתֵיכֶם Le-

 vit.

vit. 26 v. 30, בָמוֹתָיו qvod ter ſaltem (ſi fides concord. Major.) in Bibliis Hebraicis extat, nempe Regum 18 v. 22. II Chron. 32 v. 12. Eſ. 36 v. 7. Sic בָמוֹתָם Pſalm. 78 v. 58. בָמוֹתֵימוֹ Deuter. 33 v. 29. Neq́; contra nos faciunt hac in parte dogmata Grammaticorum ſtatuentium *vocalem Kametz in tertia retro ab accentu Syllaba corripi in Scheva*; nam hæc regula *in Syllaba qvidem ſimplici* tantum non ſemper locum habet, in *compoſita* verò non item.

THESIS IV.

Scio eſſe qvosdam inter viros eruditos, qvi verbum ἀπάγχομαι *de ſuſpendio & ea, qvæ per laqveum fit, morte* ſemper dici exiſtiment, neq́; unqvam alias admittere ſignificationes: neq́; verò iſtud dicunt ſolum, ſed & tanto niſu defendunt, ut citius clavam Herculi, qvàm illis hanc ſuam extorſeris opinionem. Ego contra ἀπάγχομαι non tantùm eam, qvæ laqveò fit, *ſtrangulationem*, ſed & qvamvis *ſuffocationem & præcluſionem ſpiritus* ſignificare adſero. Nam qvemadmodum pleraq́; verba in lingvis, *Latina*, *Græca* & *Hebræa* ſtrictè pariter ac latè uſurpari videmus, ita & hæc de ſtrangulatione pari mutationi atq́; viciſſitudini ſunt ſubjecta. Notum eſt Latinum *ſtrangulo*, qvod in prima qvidem ſignificatione, laqveô fauces præfocare denotat, apud Svetonium verò in Claudio pag. 73 lin. 56 Edit: Pariſienſ: excus: MDCX legimus, *qvod Claudius Druſum Pompeiis impuberem amiſerit, pyro per luſum in ſublime jactatô & hiatu oris exceptô ſtrangulatum.* *Sic Plinio* libr. VII. pag. 295 Edit. Francofurt. MDCVIII *Fabius Senator in hauſtu lactis pilô unô ſtrangulatus dicitur;* Translatè eâ voce uſus eſt Juvenalis Satyr. X. pag. 97 v. 12. Edit. Amſterod. clↄlↄcxxxiii, ubi pecuniam homines ſtrangulare dicit his verbis: *Sed plu-*

res

res nimia congeſta pecunia curâ ſtrangulat. Idem planè in Hebræorum חנק evenire obſervamus, nam proprio ſanè ſenſu ſuſpendium denotare certum eſt, ut ex II Sam. 17 v. 23. colligere licet, ubi Achitophelis mortem nobis deſcribit Vir Θεόπνευςος, Jobi verò 7 v. 5. eo ipſo ſenſu intelligi non poteſt, ait enim ibi vir ſanctiſſimus animam ſuam מַחֲנָק expetere, his verbis וַתִּבְקַר מַחֲנָק נַפְשִׁי, Qvod teſte Druſio in Frag. veter. interp. pag. 789. Edit. Arnhemienſ. Aqvila in hunc modum vertit. αἱρεῖται ἀγχόνην ἡ ψυχή μου. *Piſcat. Tremell. & Watabl. eligit ſtrangulationem anima mea*, additq; Piſcator in notis, מחנק *non ſaltem eam, qvæ laqveô fit, ſed qvamvis etiam mortem violentam denotare.* Addo locum Nahum. cap. 2. v. 13, ubi *leo* dicitur מְחַנֵּק *leunculis ſuis*, puta cætera animalia in prædam, qvod absq; laqveo fieri, extra omnem diſputationis aleam poſitum eſt. Qvemadmodum itaq; Latinorum *ſtrangulare* & Hebræorum חנק ſtrictè pariter ac latè adhiberi cernimus, ita qvoq; Græcorum ἄγχειν atq; ἀπάγχειν uſurpari videbimus.

Certè ἄγχειν καὶ τὸ πνίγειν, & ἄγχεσθαι καὶ τὸ πνίγεσθαι ſignificatione inter ſe conveniunt, nam in Etymologico Magn. ἄγχω per πνίγω exponitur; & apud *Heſych:* Lexici pag. 4. in litera A μετὰ γ, ἀγχόνη & πνίγετος, ἄγχος ac πνίγμα idem denotant. Sic *Svidas* in Lex. p. 326. ἀπαγχονίσαι per τὸ πνῖξαι interpretatur. Neq; *Johannes Chryſoſtomus* in homil. 22 ad populum Antiochenum pag. 28 A. Edit. Pariſienſ. excus: MDCXXI, ἄγχειν cum τῷ πνίγειν non confundit, ubi hæc extant verba: εἶτα ἐννοοῦντες, ὅτι κατὰ τὴν ἡμέραν ἐκείνην περὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἁπάντων κείσεται ἡμῶν τὰ ἁμαρτήματα, ἐν τῷ κοινῷ τῆς οἰκουμένης θεάτρῳ τῆς κολάσεως, χαλεπώτερον ἀλγοῦμεν πνιγόμενοι καὶ ἀγχόμενοι τῷ συνειδότι. Et ad Math. 18 v. 28. Hom. 63. pag. 547. E. Edit. Bibliop. Commeliniani MDCIII ἄγχειν τὸν σύνδουλον, qvod πνίγειν Evangeliſta dixit: cui conſentit iſtud Pollucis in Onomaſtico:

ἀποπνίγειν τοῦ ὀφειλοῦντας; qvam πνίξιν laqveô fieri, nemo dixerit, qvi Math. hunc locum cum cura perlegerit. Henricus verò Stephanus in Theſaur. Lingv. Græc. pag. 56 ἄγχειν *per ſtrangulare* exponit, additq; *græcum hoc verbum apud Veteres Romanos fuiſſe in uſu literâ ſaltem* χ in Γ *mutata, ut qvod Græci* ἄγχω, *id Romani ango dixerint.* cui per omnia conſentit Perottus, teſte Gerhardo Woſſio Etymolog. pag. 30. Qvod ſi verum eſt, qvod omnino ita eſt, patet ἄγχειν non laqveô potius qvàm alia ratione *ſtrangulari* ſignificare: *angere* enim teſte eodem Perotto ſignificat *ſuffocare* vel *fauces conſtringere*: ſanè *angere* in gloſſis *Philoxeni* exponitur per θλίβειν, στενοχωρεῖν, ἄγχειν καὶ πνίγειν, ut refert *Woſſius* loco citato. Sic hac voce uſus eſt Lucianus, qvi referente *Henrico Stephano* Theſaur. lingv. Græc. pag. cit. τί ἄγχεις, (*inqvit*) ὦ Πρωτεσίλαε, τὴν Ἑλένην προσπεσών. Ex his omnibus diligenti rationis trutinâ ponderatis ſatis conſtare opinor, qvod verbum ἄγχω alias ſæpiuſculè admittat ſignificationes, qvàm *gulam laqveô frangere*, qvod licèt concedere cogantur Criticorum qvidam filii, mordicus tamen de compoſito ejus ἀπάγχομαι imbibitam opinionem tenendam ſibi, atq; tuendam propoſuerunt; In alia ſanè ſententia fuit *Virgilius*, Vir Græc. lingv. non ignarus, cum iſtud *Theocriti*: ἀπάγξασθαί με ποιήσεις, Eclog. 2 v. 7. *mori me deniq; cogis*, verterit. Neq; *Homerus*, ut opinor, qvidqvam de laqveo cogitavit, cum Odyſ. T. pag. 554. Edit. Argentoratenſ. dixit: ὁ μὲν λάε νέβρον ἀπάγχων. Hic enim τὸ ἀπάγχων eodem modô poni, ac apud Prophetam *Nahum* מְחַנֵּק dubium non eſt. Qvod verò ἀπάγξασθαι angi & opprimi mœrore ſignificet, docet nos locus omni exceptione major, qvi extat *Tob.* 3 v. 12. Cum dicitur de *Sara* filia *Rehuelis*, ταῦτα ἀκούσασα ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ἀπάγξασθαι. Verùm objiciunt qvidam, particulam ὥστε ſimilitudinis aliqvando habere

re ſignificationem, adeoq́; cum ὥσει & ὡς coincidere, idemq́; hic evenire, ut ſenſus verborum ſit: *Hæc autem audiens contriſtata eſt valde, qvaſi obturato collo animam exhalare vellet.* Sed reſpondeo, licet non ignorem ὥστε pro ὡς aliqvando poni, atq́; hoc modô ſimilitudinis eſſe adverbium, ut apud *Homer*. Iliad. γ. pag. 104 ejusdem editionis.

Τὸν δ' ὡς οὖν ἐνόησεν, ἀρηΐφιλος Μενέλαος,
Ἐρχόμενον Προπάροιθεν ὁμίλου μακρὰ βιβῶντα;
Ὥστε λέων ἔχαρε μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας,
Εὕρων ἢ ἔλαφον —— ——

Hoc tamen id loco fieri planè nego, qvando enim ὥστε apud *Græcos* cum infinitivo conſtruitur, nunqvam eſt ſimilitudinis adverbium, ſed plerumq́; *ut* vel *adeò ut*, ſignificat, qvod probare poſſum ex *Iſocratis* orat. ad *Demonic*. pag. 3. ubi hæc exſtant verba: Οἷς ἡ τῶν τρόπων ἀρετὴ τηλικοῦτον εὐδοξίας χαρακτῆρα τοῖς ἔργοις ἐπέβαλεν, ὥστε μηδὲ τὸν ἅπαντα χρόνον δύνασθαι λήθην ἐμποιῆσαι τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων. Item ex oratione ad *Nicoclem* pag. 17. καὶ γὰρ κύριοι γενόμενοι καὶ χρημάτων πλείστων καὶ πραγμάτων μεγίστων, διὰ τὸ μὴ καλῶς χρῆσθαι ταύταις ταῖς ἀφορμαῖς, πεποιήκασιν ὥστε πολλοὺς ἀμφισβητεῖν, πότερόν ἐστιν ἄξιον ἑλέσθαι τὸν βίον τῶν ἰδιωτευόντων μὲν, ἐπιεικῶς δὲ πραττόντων, ἢ τὸν τυραννευόντων. Qvi plura exempla deſiderat, adeat *Theſaur. Henric. Steph.* in partic. ὥστε. Sunt præterea, qvi ἀπήγξατο Math. 27 v. 5. ubi de morte peſſimi proditoris agitur, ſimili ſenſu, nempe pro *ſuffocatione, quæ ex angina aut mæroris impotentia, aliqvando evenit, intelligere velint*; Qvam qvidem controverſiam ego meam non facio, hoc tantùm ſcio, hæreticum *Arium* laqveo ſibi collum non fregiſſe, de cujus interitu apud *Athanaſium* Oper. Tom. 1. pag. 671. D. Edit. Pariſ. MDCXXVII in Epiſtola

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813

ad *Serapionem*, eadem planè extant verba, qvæ apud *Lucam* Act. I V. 18. de morte *Judæ* leguntur, locum autem de Ario adſcribam : Πολλὰ τε φλυαρῶν εἰσῆλθεν εἰς θώκους, ὡς διὰ χρείαν τῆς γαστρὸς, καὶ ἐξαίφνης κατὰ τὸ γεγραμμένον, Πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ πεσὼν εὐθὺς ἀπέθανε.

Præſtantiſſimo & Ingenioſiſſimo theſium Philologicarum Authori

ARNGRIMO WIDALINO

Lingvas Hebræam , Græcamq; tenere peritè
Utile Theiologis eſt ſimul atq; Sophis ;
Hinc doctum præbes ſpecimen quòd noveris illas
Lingvas , unde Tibi *Laurea* mox dabitur.

hoc carmine properato ità gratulatur

PRÆSES.

Præſtantiſſimo & Literatiſſimo Theſium Philologicarum Authori

Qvid jam jam WIDALINE , Tuus *Labor* & vigil olim
Cura qveat proferre paras , quid veſpere ab uno
Ad Solem excurrens pernox experſq; quietis
Aſſiduus poſſit labor atq; exhauſtus amore ,
Muſarum , claræq; animus Permeſſidos undæ ;
Scilicet iſta Tuus Tibi præmia reddet *Apollo.*
Mitte animo curas , dicens : *cape frondis honores* ,
Frondis , quæ Longo meritam Tibi pulvere laudem
Deferat , & nomen doceat neſcire taceri.

gratulabundus aſſurgit

JOH. ZACHARIAS.

Au-

Authori Theſium.

Ἑλλάδος εὐγενέος, γλῶσσαν, δεδαημένον εἶναι;
Ῥωμαικοῖς τε λόγοισι κεκασμένον ἔνδοθεν ἦτορ
Οὐ πολὺ, οὐ θουμαστόν, ἀδελφέ σε, εἴπερ ἅπασα
Τοῦτο γε μὲν γὰρ γαῖα φέρει κλέος, ἔμπαδε πάντων,
Οἵτινες ἐκ περάτων διʼ εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Ὑσταλίων ἀφίκοντο, ὑπείροχον ἔμμεναι ἐσθλαῖς
Ἰουδαϊκαῖς γλώσσῃσι, τὸ μὲν θουμαστόν ἅπασιν
Ὅσσοις ἠελίοιο φάος δέρκονται ὀπωπαῖς.

In hunc modum gratulatur Frater
JONAS WIDALINUS.
Thorch. F.

AUTHORI

Theſium Præſtantiſſimo, earumq; Defenſori ſtrenuo.

Lapſus ab aſtrifero venit ad *certamina* Cœlo
Defenſor ſolii Divus *Apollo* ſui.
Urantur (qvoniam blando Lux aurea ſurgit
Auſpicio) tepidis mollia thura focis.
O Lux grata qvidem! qvâ Tu *mitiſſime Divûm*
Advenis, & magno numine cuncta reples.

En! victus abjêre feri, ſic frigora brumæ,
Sed bibit irriguas fertilis hortus aqvas.
En! redeunt *flores*, fulgentia Lilia ſurgunt,
Pingvis & ambroſio germine vernat humus.
Aſpice in Herculea *florem*, *Pater alme*, palæſtra
ARNGRIMUM Aoniis invigilare viis.
Is inter teneram Juvenûm *flos*, verê, Coronam
Ingenii dotes exerit arte ſuas.
Hiccine ineſt animo *patrii Candoris* imago?
Num caret hîc nervis *Candor* & ipſe ſuis?
Non caret, æthereæ nam qvi celebrare *Minervæ*
Sacra ſolet, magni *Hectoris* inſtar adeſt.
Et qvi Palladiâ vixit benè miles arenâ,
Intrepidus doctos audet adire viros.
Tu *præſtans Juvenis*, qvi non *Certamina* fugis.
Accipies merito præmia digna Tuo.
Tu redeas, veluti ſuperato *victor* ab hoſte
Ut *Cingat* nitidas *Laurea* ſerta *comas*

ſic applaudit

JONAS GISLAVIUS
Iſlandus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-423 4° 1813